



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa

Et In octo Partes ... distincta ...


De Peccatis Et Gratia

Vindalium, 1646


Cap. I. De oppositione vitij cum virtute.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38789

R



TRACTATUS
DE VITIIS
ET PECCATIS.



CAPVT I.

De oppositione vitij cum virtute.

CONCLUSIO I.

Nest contrarietas intrinseca & per se, vitio cum virtute, non tamen ex natura genericâ, aut specificâ eorum.

Prima pars probatur, inesse scilicet contrarietatem vitio cum virtute, i auctoritate scripturæ, Ecclesiastici. c. 13. v. 15. Contra malum bonum, & contra de Pecc. A

mortem vitâ, sic & contra vîrum iustum peccator.

2. Accedit consensus PP. vt S. Ambros. qui lib. 2. de Abrah. c. 6. asserit virtutis & vitij motus naturaliter sibi repugnare. Cui subscribit S. Aug. epist. 29.

3. Prob. certitudine experimentalî, quia nemo est, qui non sentiat assuetudine vitij minui propensionem ad virtutem, & contra, &c.

2. Pars Prob. hanc nimirum contrarietatem non peti ex naturâ genericâ vitij & virtutis, quia alioqui qui haberet vnicum vitium nullam formaliter virtutem possideret; At hoc experientia apertè repugnat, ne dicam fidei; ergo vitium non aduersatur virtuti vi suâ rationis formalis genericæ vt vult Gabriel. Minor Prob. Quia si quolibet vitio periret formaliter omnis virtus ob incomparabilitatem rationis genericæ; experiremur in nobis plenam difficultatem circa exercitium actuum formalium cuiuslibet virtutis post admissum quodlibet leuissimum peccatum; hoc autem repugnat experientia quotidianæ ergo. &c.

Dices vt vim argumenti effugias, ideo non sentiri difficultatem in exercendis omnibus virtutibus, ob vnum peccatum, quia manet materiale virtutum, tametsi

DE PECCATIS. CAP. I. 3

pereat formale. Sed contra, quia si tantum materiale maneret, non inclinaremur nisi ad actus materiales virtutis supposito vno peccato, semperque restaret difficultas circa formales; constat autem experientiâ etiam post peccatum exerceri facile virtutem prius comparatam diuersæ rationis ab actu malo elicitio. Nam qui otiosum verbum protulit eadem facilitate abstinet à potu ob honestatis amorem; in quo nemo neget reperiri rationem formalem actus abstinentiæ; Ergo non amisit formalitatem ad abstinendum formaliter ex virtute.

3. Pars Prob. Non inesse hanc contrarietatem vitio cum virtute ex naturâ numericâ, quia si hoc esset, non posset vna numero virtus expelli nisi ab vno numero vitio, quod est falsum, nam quilibet habitus intemperantiæ, contrarius est habitui temperantiæ vt quilibet actus intemperantiæ actui temperantiæ.


CONCLUSIO II. Contrarietas de qua dictum in conclusione i. oritur ex eo quod habitus vitiosi tendant ad actus propriè ac formaliter contrarios actibus virtutum, & consequenter contrarietas ea oritur ex ratione specificâ vitiorum ac virtutum.

1. Pars Probat. Quia tota contrarietas

TRACTATUS

tas habituum est ad actus; at talis inest habitibus vitiosis cum habitibus virtutū, ergo petitur ob ordine ad cōtrarietatem actuum. Maior. Prob. Quia ideo habitus sibi ipsis contrarij sunt & opponuntur, quod naturā inducāt ad exercitium actuum contrariorum vt ex Philosophiā, & experiētiā patet.

2. Pars sequitur ex primā, hanc scilicet contrarietatem oriri & peti à naturā specificā vitiorum, est enim iis specificum ad tales actus contrarios inclinare.



CAPVT II.

*De contrarietate vitij cum naturā
rationali.*

Nota 1. hoc esse discrimen inter vitia & peccata, quæ repugnant legi naturali, & ea quæ sunt contraria legi supernaturali, quòd priora sunt absolute contra naturam rationalem, in sensu absoluto: posteriora verò non nisi ex hypothesi, quòd natura rationalis est eleuata ad ordinem supernaturalem, Deusque ei sic spectatæ vult aliquid præcipere: sic